

16325

DE
U R T I C A R I A .



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM


CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE



RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORGIUS FRIDERICUS SCHMIDT,
DORPATENSIS.

DORPATI LIVONORUM,
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXVIII.

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec
Dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura libro-
rum mandata est, tradantur.

Dōrpati Livonorum d. xxi. Mens. Mart. mccccxxviii.

Dr. S a h m e n,
Decanus.

D 176 34

Introductio.

Quamquam urticaria (Nesselfieber, Nesselsucht, Fievre ortiée, Urticaire, Nettle Rash) jam antiquissimis medicis nota fuit, tamen incompleta descriptio et ambiguitas nominum ejus multos errores adduxit, quod imprimis eo factum esse videtur, quod pomphum (1) (Quaddel) alius scriptor alio nomine, vel pluribus etiam significabat, nonnulli quoque eum om-

(1) Ad significationem mutationis cutaneae, urticariae propriae, nomine pomphi utitur praeceptor meus praeclarissimus, L. A. Struve, atque eo libentius eum sequor, cum jam Hippocrates hoc verbo exanthema per urticas procreatum appellet, ut ex hoc loco appareat: *καὶ καταπιμπλαται πομφῶν ὡς ὑπὸ κνίδος.* (Medicorum Graecorum Opera, ed Dr. C. G. Kühn, i. os. Vol. xxjj. pag. 286.)

nino negligebant, et universali tantum nomine exanthematis utebantur.

Fortasse non inutile est, hoc loco, etsi imperfecte atque ex iis tantummodo scriptoribus, quorum scriptis uti potuimus, pomphi nomina, quorum aliud apud alium scriptorem occurrit, enumerare.

Celsus (2) pomphum significat nomine pustulae, quam cum ea pustula comparat, quae urticatione per urentes urticae species produci dicitur; Lochner (3) pro pompho flores, summitates dicit; Behrens (4) nunc maculas, nunc tubercula; Wichmann (5) interdum papulam, quo nomine pomphum solitarium, interdum phyma, quo confluentem pomphum significat; J. P. Frank (6) mox maculas, mox tumores, mox protuberantias, sed etiam phyma. S. G. Vogel (7) pomphos significat verbo Flecken; Reil (8) Beulen; Chalmers (9) Pocken; Plumbe (10) Tuberkeln; Wil-

(2) L. V. de remed. c. 28.

(3) Ephemerid. nat. cur. Cent. vj Obs. 96.

(4) v. Werlhofii Opp. II. p. 597.

(5) Ideen zur Diagnostik, III. p. 134. 148.

(6) De cur. hom. morb. epit. L. III. p. 104.

(7) Handbuch d. pr. Arzneiwissenschaft, Thl. III. S. 303.

(8) Ueber d. Erkenntniß u. Kur d. Fieber, Bd. V. S. 403.

(9) Nachrichten über d. Witterung u. Krankh. in Süd-carolina. Aus dem Engl. übersetzt. Bd. I. S. 86.

(10) Prakt. Abhandlung über Hautkrankh. Aus dem Engl. übersetzt. S. 175.

lan (11) usurpat nunc Schwielen, nunc kleine blasenähnliche Hautgeschwülste, quorum nonnulli tuberculis similes esse dicuntur, nunc Flecken. Bateman (12) significat pomphum interdum verbo Blase, interdum Quaddel (wheal), quo nomine prominentiam cuticulae rotundatam, vel ovalem, superficie albida instructam, fugacem, nec sero repletam, neque ad suppurationem vergentem, intelligit.

Apud medicos Francogallos etiam major exstat confusio. Godard (13) v. c. pomphos nunc exanthemes plats, nunc ampoules vel petites pustules nominat; Goulin (14) usurpat pustules et eruption exanthematique tanquam verba synonyma; Planchon (15) ambigue eruption pustuleuse et ampoules dicit. Alibert (16) usurpat évelures, pustules ortiées, ampoules, tumeurs boursoiffées; Rapou (17) pomphos appellat gros boutons durs, in Dictionn. des sc. med. nomi-

(11) Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung. Aus dem Engl. übersetzt von Friese. Bd. III. S. 305.

(12) Prakt. Darstellung der Hautkrankh. Aus d. Engl. übersetzt. Halle 1815. S. 152. 23.

(13) Journal de Medicine, Tom. X, année 1759.

(14) Journal de Sedillot, Tom. LV.

(15) Journal de Medicine. Tom XVII. année 1762.

(16) Précis theoretique et pratique sur les maladies de la peau, a Paris 1818. T. II. p. 223.

(17) Traité de la methode fumigatoire, a Paris 1824. T. II. p. 24.

nantur petites vesicules. Rayer (18) tamen pomphos aptius nominat taches proeminentes, et sane unusquisque, secundum ea, quae diximus, libenter agnosceret, vera esse haec ejus verba (19): „Ce défaut d'exactitude dans la redaction des faits particuliers jette du vague dans les descriptions générales, les rend fausses et quelquefois inintelligibles.“

Quod in significando pompho accidit, idem fere in constituendo ipsius morbi nomine evenit, atque urticariam diversissimis nominibus appellatam apud scriptores medicos invenimus. Celsus (20) aspredinem eam appellavit; Plinius (21) et postea Linné (22) et Reil uredinem; Vegetius et Apulejus (23) uriginem. Latinobarbari mutaverunt verbum „Aschara“, a Serapioni majori, Syro, usurpatum, in „Essera“ (24). Heberden (25), Chalmers (26), Sennert (27) et Allen (28)

(18) *Traité theoretique et pratique des maladies de la peau*, a Paris 1826. T. I. p. 80.

(19) *ibid.* p. 87.

(20) *l. c.*

(21) *L. IX. c. 45.*

(22) *conf. Vogl. l. c.*

(23) *conf. Lochner l. c.*

(24) *conf. Bateman. l. c.*

(25) *Med. Transactions. II. Art. XI.*

(26) *l. c.*

(27) *Med. Praxis. Lib. V. P. I. cap. 26.*

(28) *Synopsis universa Med. Pract. cap. XI. art. 6. p. 407.*

hoc nomen conservaverunt; duo posteriores vero urticariam quoque soram appellant; Avicenna (29) vocavit eam Benat Alleili (noctis filias), sub nomine purpurae urticatae reperimus urticariam apud Junckerum (30), Lochnerum (31) et Schachtium (32); sub nomine febris erysipelatosae apud Sydenhamum (33); scarlatina urticata vocatur apud Sauvagesium (34); Lieutaud (35) appellavit urticariam, quia pomphos foliis portulacae similes vidit, porcellane, febrem porcellanae; Bnrserius (36) vocat eam exanthema urticatum; Koch febrem urticatam. R. A. Vogel (37) primus hunc morbum a similibus morbis secrevit, eumque urticariam appellavit. A Sam. G. Vogelo etiam alia nomina commemorantur, ut Wiebelsucht, Säusucht, febris rubra pruriginosa. Reil etiam morbum porcinum et Wichmann urticationem eam appellari dicunt. Hic posterior quoque urticariam acutam febrilem Nes-

(29) *conf. Willan. l. c. S. 329.*

(30) *Conspect. Med. Pract. Tab. 75.*

(31) *l. c.*

(32) *Inst. med. pract. cap. XI. § VI.*

(33) *Op. Sect. VI. cap. VI. p. 353.*

(34) *Nosol. method. T. II. p. 426.*

(35) *Synops. med. T. I. L. I. sect. 4.*

(36) *Instit. med. Vol. II. cap. V.*

(37) *De cognose. et cur. praec. corp. human. affect. Ed. III. §. 158.*

selfieber, urticariam apyreticam vero Nesselsucht nominat.

Mihi objici non posse, quod esseram quoque urticariae adnumeraverim, eo certius credo, cum jam medici praeclari, ut Vogel, Hufeland, Frank et omnes scriptores recentioris aevi eam ad urticariam retulerint; cur vero eam non ut diversam urticariae formam enumeraverim, ut Reil fecit, lectori benevolo me rationes reddere debere arbitror.

Praecipue me detinuit, quominus id facerem, ambigua sibi repugnans descriptio ipsius esserae. Sunt enim (38), qui dicant, esseram consistere in tuberculis parvis, duriusculis, rubescentibus et cum pruritu summo subito totum corpus aggredientibus; alii contendunt, eam esse insignem maculis latis, solitariis, subrubris, nitentibus, glabris, planis, ardentibus et prurientibus, praecipue in manibus et facie oriundis. Alii (39) negant exanthema esserae pruritus excitare, sed Chalmers dicit summum pruritus eo procreari. Nihil igitur, nisi pomphorum color subruber, esserae reliquum est; quod mihi minoris momenti visum est, quam ut hanc ob rem esseram ut diversam

(38) conf. I. P. Frank, l. c. p. 110.

(39) conf. S. G. Vogel, l. c. S. 308.

formam proponerem, cum omnes pomphi, simulac vehementer scabuntur, imprimis si cum febre inflammatoria complicati apparent, magis minusve rubescere possint. Gravior pruritus vero, a nonnullis in essera observatus, qui fortasse causa, ut pomphi rubescant, haberi potest, quatenus ad scabendum quam maxime impellit, efficere nequit, ut esseram jure ut diversam urticariae formam agnoscamus.

Effectum rerum nocentium, mere localium, in cutem, pomphos producentium, in morbum, quem mox exponam, jure mihi receisse videor, quoniam pomphi illi eadem symptomata characteristicam ostendunt, quae urticaria, et quoniam ipsa urticariae symptomata nunc insectorum ictuum, nunc urticarum effectum explanaverunt, saepeque haec cum illis congruere contenderunt; nec non Raimann, Rayer et alii jam affectionem idiopathicam per uricas et insectorum ictus urticariae adnumeraverunt.

Definitio.

Urticaria est morbus cutaneus non contagiosus, eo insignis, quod eodem tempore adsunt pomphi in cute et pruritus seu sensus urens ejus, quasi urticis verberata sit.

Sub nomine pomphi (Quaddel) intelligenda est propria forma eminentiae cutis, dura tactu, eo insi-

gnis, quod, quam cito erumpit, tam cito rursus evanescit, et raro omnino rotunda, eo saepius ovalis, aut irregularis figurae, ruptis quasi marginibus, quae ut albida, vel rubescens, et, in superficie, plana, aut colli similis eminentia in cute, magnitudine lentis usque ad magnitudinem nonnullorum pollicum apparet. Haec magnitudinis diversitas exoritur e confluxu pomphorum plurium, paullulum distantium. Pomphus semper est albidior et serenior, quam cutis ipsum cingens, quae magis minusve rubet. Scabenda et confricanda regione cutis, ab iis affecta, et saepius aëre et regimine frigidiore, quam calidiore, proliciuntur, si evanuerunt, sive augentur, si adhuc adsunt. Rarissime pomphus apice instructus, neque unquam pure, aut alio humore extravasato repletus est.

Pruritus cutis, pomphos urticariae semper comitans, diversae gravitatis est. Plerumque vehementissimus fit et in sensum urentem transit, et intolerabilis fit. His duobus urticariae symptomatibus, quae semper adsunt, accedunt etiam alia, non ita stabilia, quae in diversis formis et varietatibus urticariae apparere solent, et mox explicabuntur.

Diagnosis.

Etsi urticaria ad morbos levissimos referenda est,

et saepe ne consultitur quidem medicus ab iis, qui hoc morbo correpti sunt, nihilominus tamen ejus diagnosis magni momenti est, quoniam cum morbo ipsius simili confundi, periculosior haberi, pravisque igitur remediis tractari potest.

Praecipue conjunctio duorum symptomatum morbi essentialium, quae jam attulimus, decursus, temporis spatium, quod perdurat, et exitus hujus morbi, nec non absentia symptomatum, quae in morbis ipsi similibus occurrunt, diagnosis constituant, et confusionem hujus morbi cum aliis prohibent.

Decursus urticariae est maxime irregularis. Plerumque, attamen non semper, prodromi morbi eruptionem antecedunt, qui aut vulgares febrium prodromi sunt, imprimis si morbus refrigerio producit, ut: magna frigoris sensibilitas, languor, gravitas et tensio membrorum, horripilatio, horror, defectus appetitus, lingua muco obducta etc.; aut febris vera, cum frigore leviori incipiens, unum, vel duos dies antecedit; aut symptomata sunt, quae e laesione organorum digestionis, imprimis si in iis causa urticariae quaerenda est, explicari possunt, ut: pressio et plenitas in scrobiculo cordis, inflatio praecordiorum, gastrodynia et dolores colici, anxietas, quae saepe incredibilem in modum crescit, et saepe urticariam antecedere, saepius etiam eam comitari solet, leviora animi deliquia, nausea, eructatio, vomituritio, ipse etiam vomitus, cephalalgia etc.

In urticaria, causis proxime localibus, ut urticis, etc., in cute progenita, semper absunt hi prodromi.

Proprie, sive ut plerumque fieri solet, postquam prodromi perbreve tempus perduraverunt, attamen etiam post nonnullas horas, aut dies, summo cum pruritu pomphi erumpunt. Interdum cutis prius rubescit et tumescit, aut pruritus intolerabilis paullulum antecedit, antequam pomphi apparent. Sed saepius ambo symptomata simul apparent. Nullam cutis superficiēi partem pomphi non adoriuntur. „Sie haben,“ Wichmann (40) inquit, „keine besonders angewiesene Stelle, sondern die ganze Oberfläche des Körpers ist ihr Theater.“ Neque prima eruptio certo quodam loco fit. Videntur e. g. primum eos erumpere ad articulos manus et cubiti (41), in pectore (42), ad coxendices (43) etc. Attamen apices digitorum manuum et pedum, nec non glandem penis et capillitium non facile aggredi videntur, nisi praegressis urticatione, vel ictibus insectorum. Ut variolae, sic pomphi, rarissime etiam usque in cavam oris se extendunt, et sermonem, respirationem, manducationem et deglutitionem difficiliorem reddunt, quin etiam lin-

(40) l. c. S. 139.

(41) Hannöversch. nützl. Sammlungen vom Jahr 1757 3t. Theil, S. 265.

(42) Behrens, v. Werlhof. l. c. p. 603.

(43) Willan. l. c. S. 316.

quam altero tanto tumescere viderunt (44). Pruritus cutis aegrotum ita, ut resistere nequeat, ad scabendum impellit, eoque vehementior est, quo major superficies cutis ab urticaria correpta, quo gravior et rubrior tumor ejus partis, quo sensibiliores et nervosiores partes affectae, ut scrotum, quo irritabilior aegrotus est, et quo propius tempus eruptionis exanthematis accedit. Summa anxietas et inquietudo aegrotum vexant, saepe huc illuc cursitat, et nunc hic nunc illic se scabit. Exanthema alio loco subito evanescit, alio inopinatē rursus apparet. Exanthema, quod jam evanuit, aura subfrigida, aut scabendo et confricando cutem, rursus prolicitur.

Urticariam aut febris comitatur, aut non, atque inde hae duae species hujus morbi sequuntur.

I. In urt. febrili (Nesselfieber) exanthematis eruptio plerumque in frigore, sed saepe etiam in ardore fit, et omnino, aut aliqua ex parte in sudore evanescit. Febris plerumque est indolis leviter inflammatoriae, saepe catharrhalis, vel rheumatica, vel gastrica, interdum intermittens. Quodsi haec febris posterior adest, urticaria quoque intermittens est, febris typum observat, in quovis febris paroxysmo redintegratur, et tandem cum febris sudore decedit.

(44) *ibid.* S. 317.

Rarius febris est maxime inflammatoria, et rarius etiam nervosa, aut putrida. Si urticariam febris comitatur, haec eodem tempore, quo urticaria, apparet, aut antecedit, aut sequitur. Si in decursu morbi excolitur, non pendet ab illo, neque, ut Wichmann (45) testatur, unquam secundaria vitio cutis procreatur. Exanthema quoque secundum febrem, quae adest, formam aliquatenus diversam habere, v. c. si febris inflammatoria adest, area rubra, magis intensa et extensa cinctum esse, nemo non videbit.

II. Urt. apyretica (Nesselsucht) aut acuta, aut chronica esse potest, neque raro symptomata ejus vehementiora sunt, quam urticariae febrilis. Potissimum hoc dicendum est de urticaria, quae post esum mytulorum edulium apparet, et imprimis superiores corporis partes aggredi videtur. „Aufser einer grossen Angst,“ Wichmann, (46) inquit, „leiden solche Menschen vorzüglich blofs von dem unaussprechlichen Jucken, und der Ausschlag läuft, besonders im Gesicht, bisweilen so zusammen, daß die Augen fast zuschwellen, und überhaupt durch Geschwulst das ganze Gesicht verunstaltet wird.“ Behrens (47) exemplum, in se ipso observatum, affert, ubi ipsum subito quinque horis post suspectam coenam, postquam

(45) l. c. S. 150.

(46) l. c. p. 140.

(47) l. c. p. 600 et seq.

gastrodynia et dolores colici. anxia praecordiorum constrictio, alvi fluxus et vomitus antecesserant, ardor, pruritus et tumor frontis, qui cito per totam faciem se extendebat, aggressus est. Oculi et nares tumescebant, et ipse nasus quodammodo evanuit in tumore, qui faciem altero tanto augere videbatur. Secutus est sub symptomatibus vehementibus vomitus sublevans, quo facto, dimidia hora tumor faciei considebat, sed urticaria in pectore et deinde paene in toto corpore summo cum pruritu apparebat. Per quatuor horas alia eruptio ejus aliam excipiebat, ita ut exanthema in pectore evanesceret, cum in brachiis apparebat etc.; deinde somnus quietus secutus est, et die sequente omnia incommoda jam evanuerant.

In urticaria, et febrili, et apyretica, exanthema diversitates ostendit, quas jure varietates urticariae proponere possumus. In urticaria, tum febrili, tum apyretica, accidere potest, ut exanthema alio loco evanescat, alio loco rursus appareat (U. evanida); ut continuo, dum rubedo, pomphum cingens, paulatim deminuitur, uno loco perstet (U. perstans); ut subito evanescens, aliquo loco pruritus quam maxime intolerabilem relinquat, et, denuo apparens, illum deminuat (U. subcutanea); ut interdum positione pomphorum singulorum inter se, et rubedine majore minoreve, illos cingente, maculas diversae magnitudinis, interdum vibices, tanquam si cutis flagello, vel baculo verberata sit, interdum vero rubedinem magis

aequalam ostendat; ut nunc pomphi minores et solitarii (Pomphi, U. discreta), nunc quam maxime conferti et confluentes appareant (U. conferta); ut denique maximi sint, magnis tuberibus tumoribusque similes, ubi imprimis extremitates inferiores infestare solent (U. tuberosa). Plerumque pomphi plani sunt (U. maculosa), raro apice arcto, pellucido, paene vacuo, instructi (U. vesicularis). Si pomphi albidi sunt, morbus appellatur U. simplex; si subrubri, U. erythematosi. Nonnulli hanc varietatem esseram quoque nominaverunt.

Temporis spatium, quod urticaria perdurat, diversissimum est. Ultra novem dies forma acuta nunquam perdurat, et raro ultra septimum diem procedit. Quin etiam, si cum febre intermittente tertiana conjuncta erat, eam in tribus tantum paroxysmis deinceps apparere viderunt, ut P. Frank (48), Planchon, Goulin et Godard (49) affirmant. Plerumque forma acuta et febrilis tres ad quatuor dies perdurat, apyretica saepe nonnullas tantum horas. Si urticaria cum vitio gastrico conjuncta est, plerumque cito decurrit, et saepe intra duodecim horas depellitur.

Aliter se habet forma chronica, semper apyretica. Iam Heberden (50) commemorat, se interdum

(48) Interpretat. cl. P. I. p. 405 et seq.

(49) vide Rayer. l. c.

(50) Arzeneikundige Abhandlungen d. Aerzte zu London. Bd. II. No. XI. S. 131.

aegrotos vidisse, qui per plures menses urticaria laboraverint, et alios, qui per biennium brevi tantum tempore hoc morbo liberati fuerint, alios denique, qui septem, quin etiam decem annos eo affecti fuerint. Si res sic se habet, urticaria semper habitabilis esse, et levissimis stimulis cutancis, aura subfrigida, incommodis gastricis et animi affectionibus rursus provocari videtur.

Pruritus plerumque aliquamdiu, postquam pomphi evanuerunt, remanet, neque rubedo tam cito evanescere solet.

Vulgaris exitus urticariae febrilis cum symptomatibus criticis febris congruit, et cum sudore quoque largiore exanthema evanescit. Quodsi sudor febrem non perfecte solvit, saepe, illa remittente, vel intermittente, pomphos paucos perdurare videmus. In forma apyretica quoque perspiratio cutis aucta, quae, pomphis evanescentibus, existit, critica habenda est. Salivatio in ea tantum urticaria critica occurrere videtur, quae cavum oris adurit. Vomitus, rarius alvi fluxus, quo res nocuae, quae aegrotus comedit, evacuantur, solvit quoque urticariam, tum symptomaticam. Tenuissima desquamatio furfuracea epidermidis saepe, non tamen semper, sequitur exanthema, quod plerumque subito, omnino nullo incommodo relicto, evanescit.

Attamen, postquam exanthema subito evanuerat, graviora incommoda exoriri viderunt. Anxietatem et leviora animi deliquia observavit S. G. Vogel (51), sed haec incommoda statim cesserunt, urticaria rursus apparente. In clinico, quod in urbe nostra est, anno praeterito, in puero quatuordecim annorum post urticariam, refrigerio repulsam, observavi rigorem totius corporis, ita ut aegrotus neque manus, neque pedes movere posset, qui post nonnullos dies, remediis diaphoreticis adhibitis, evanuit. Exanthema non denuo apparuit et levis tantum desquamatio in locis, urticaria correptis, animadversa est. Ophthalmia (52) quoque, metastasis letifera in cerebrum (53) et hydrocephalus (54) interdum hunc morbum secutus est.

Diagnosis eo certior fit, si absentiam symptomatum affectionum morbosarum, urticariae similium, respicimus, eoque minus igitur fieri potest, ut urticaria cum morbillis, scarlatina, rubeola, erythemate, erysipelate, aut cum scabie, miliaria, pem-

(51) l. c. p. 306.

(52) L. P. Frank, interpr. cl. I. p. 42; et Koch, progr. de febre urticata. Lips. 1792. p. 14.

(53) Cleghorn, on the epidemical diseases in Minorca, London 1768. p. 248.

(54) Samml. auserlesener Abhandl. für pr. Aerzte. Bd. IX. p. 368.

phigo cet. confundatur, si medicus ambiguus symptomata horum morborum satis respicit.

Divisio.

Secundum varias rationes, quibus hic morbus respicitur, divisiones quoque varias esse oportet.

Dividitur ergo secundum adspēctum exanthematis in U. maculos., vesicular., et tuberosam, ut a P. Frankio fit, quibus Reil esseram adjicit.

Secundum decursum morbi distribuitur in U. perstantem, evanidam, subcutaneam; secundum spatium, quod perdurat, in U. acutam et chronicam; secundum pomphorum quantitatem in U. discretam et confertam; secundum typum, quō apparet, in U. typicam et quidem U. t. intermittentem, menstruam, remittentem, aut continuam, et in U. erraticam; secundum complicationes urticariae porro in U. febrilem et apyreticam, U. cum scarlatina, cum variolis vaccinis etc.

Willan, quem Bateman, Plumbe, alique secuti sunt, dividit urticariam in U. febrilem, subcutaneam, evanidam, perstantem, confertam et tuberosam, sed hanc divisionem perfectio logica omnino deficit, quoniam minime nititur in simplice

divisionis fundamento, sed nunc complicatio, nunc magnitudo pomphorum in divisione respicitur.

Etiamsi respectu diagnosis haec divisio multum commodi affert, tamen, si therapiam respicimus, divisio, quae modo, quo gignitur, et causis morbi nititur, utilior esse videtur.

Pathogenia.

De pathogenia urticariae et praesertim pomphi diversae existunt sententiae. Willan (55) arbitratur insolitam sanguinis copiam, quae venis cutis se communicat et rubedinem cutis procreat, extravasationem partialem adducere. Reil (56) fatetur: „Das Wesen der Krankheit ist uns unbekannt. Wissen wir doch nicht einmal, wie die Beulen entstehen, welche sich bei ihr auf der Haut einstellen. Zufluss des Bluts scheint diese Beulen nicht zu veranlassen, weil sie nicht roth aussehen; von Effusion scheinen sie auch nicht herzurühren, da sie schnell entstehen und wieder vergehen. Ein Strömen der Electricität, oder des expansiven Principis gegen einzelne Hautpapillen mag wohl Antheil an der Erzeugung derselben haben.“ Sed

(55) l. c. p. 16r.

(56) l. c. p. 40r.

hae explanationes partim lux, partim perfectio deficit; huc accedit, quod cel. Willani sententia ad exanthemata in univversum pertinet.

Chalmers (57) proximam causam esse putat temporariam obstructionem vasorum exhalantium, qua excretio acritudinis acidae prohibeatur; attamen haec quoque explanatio obscura, et acritudinem acidam adesse non semper credendum est.

Liceat mihi sententiam meam de formatione pomphi hoc loco afferre. Causis occasionalibus urticariae, aut directe, aut indirecte subito spasmus in finibus vasorum exhalantium papillarum cutaneorum excitari puto; eo transpiratio per eas prohibetur, materia perspirabilis retenta, stagnans, valde irritat, exoritur auctus affluxus seri in vasa parva, penicilli formam aequantia, papillarum cutis, quo hae exsurgunt. Simul congestionem sanguinis in rete vasorum tenue supra corium cutis rubescit, eo magis, quo propius illud papillis irritatis est, et quo major irritatio fuit. Haec rubedo, pomphum cingens, et intentione et extentione quam diversissima, plerumque fortasse e congestionem sanguinis in cutem, sin vero gravior est, ex irritatione vasorum, quin etiam e statu inflammatorio exoritur. Ceteroquin magna analogia inter erectionem papil-

(57) l. c. p. 86. 87.

larum cutis et erectionem membri virilis esse videtur, cum, ut in illis, sic in hoc amplificatio voluminis per affluxum humorum, erectio et turgescencia animadvertatur, et haec symptomata cito evanescent, sed mox denuo exoriri possint.

Causae.

I. Causae praedisponentes.

Dispositio ad urticariam nondum satis constituta est. Inest partim erethismo cutis, conjuncto cum transpiratione cutis propria, perversa, partim propriae rationi ejus ad sensibilitatem organorum digestionis.

Mollities cutis, producta vestitu nimis fovente et aëre calidiore, cultus cutis neglectus, diuturnus usus potionum et medicamentorum diaphoreticorum, multi morbi, praesertim cutanei, imprimis hanc propriam irritabilitatem cutis et praecipue papillarum cutis procreare videntur. Hic erethismus saepe maximus apparet. Viderunt (58) v. c., in foemina urticariam quovis pulicis ictu procreari, et in infante

(58) *Salzb. med. Zeitung*. Bd. I. 1793. p. 219.

nonnunquam totum iter hujus insecti. Quam diversa jam apparuit in diversis hominibus sequela ictus cuticis! Plumbe (59) affirmat, nonnullos homines aliqua corporis parte leviter fricanda hoc exanthema producere posse, vel ibi, ubi ne de minima quidem laesione functionis alicujus organi certiores fieri possumus; et Bateman (60) narrat, virginem quandam statim pomphos longiores, albidos et elatos in cute prolucere potuisse, si unguibus premens eam strinxerit.

Chalmers (61) credit acritudini, quae per cutem externam transpiranda sit, dispositionem ad urticariam inesse, idque inde concludit, quod, quaecunque homines, hoc morbo affecti, evomuerint, quam acidissima et colore viridi vel ex viridi nigricante sint, et simul alvi tam acres sint, ut anum corrodant, exanthema vero sublevetur, vel evanescat, simul ac haec acritudo acida per os, anum, aut cutem emota sit. Hanc sententiam testari possit id, quod Willan (62) affirmat, hoc exanthema mediocri usu solutionis kati aquosae interdum citius evanescere. Attamen multa urticariae exempla occurrunt, in quibus hoc accipere nequit. Etenim quomodo v. c. secundum hanc sententiam exortus ejus post lapides cancrorum, aut le-

(59) l. c. p. 177.

(60) l. c. p. 157.

(61) l. c. p. 80.

(62) l. c. p. 225.

vatio symptomatum post esum cancrorum, acido citrico sumto, (63) explicari potest?

Ut ad pleraque exanthemata, sic ad urticariam quoque juvenus dispositionem habet, quae praecipue tum se ostendit, cum totum corpus magis minusve erethismo laborat, ut tempore dentitionis. Animus irritabilis urticariam adjuvat, et de constitutione Plumbe (64) haec verba facit: „Ob diese Krankheit gleich dann und wann bei geschwächten Constitutionen vorkommt, so scheint doch ihr Erscheinen durch einen strotzenden Gesundheitszustand am meisten begünstigt zu werden.“ Cum congestio humorum in cutem vere, et aestate transpiratio major sit, facile intelligi potest, his anni temporibus hunc morbum saepius occurrere, quam reliquis.

Quod attinet ad propriam rationem cutis ad organa digestionis, plurimi scriptores arbitrantur, cutis correptionem irritabilitate organorum digestionis individuali, non fugace, morbosa, per consensum, esse momentum praedisponens urticariae, idque idiosyncrasiam appellant. Apparet, duo organa, quae tam similes functiones habent, quam ventriculus et cutis, majorem conjunctionem sympathicam inter se habeant, oportere, neque dubitari potest, quin saepe hac

(63) Hannöversch. nütz. Samml. 1757. Thl. 3. p. 265.

(64) l. c. p. 177.

ratione urticaria producat; neque tamen omnia hujus morbi exempla, quae conjunctionem causalem cum laesione gastrica habent, per excitatam idiosyncrasiam ventriculi contra substantias quasdam, illi molestas, explicari posse videntur, nam:

1) Tum intelligi nequit, quomodo homo aliquis alio tempore hanc idiosyncrasiam quam maximam contra substantiam aliquam habeat, alio tempore eam sine ullo detrimento comedat, subito vero in vitium vetus rursus incidat, et natura ita homini quasi illudat. Exempla ejusmodi de fragis Friese (65), de mytilis edulibus Behrens (66) enarrat.

2) Verisimile non est, hanc idiosyncrasiam adeo esse universalem, ut propter eam tantum in coena sexaginta homines post esum scombrorum salsorum urticaria affecti sint, ut Plumbe (67) commemorat.

3) Saepe exoritur urticaria ex causa gastrica quatuor, sex, seu pluribus horis demum post esum mytilorum cet. Cur non statim exoritur, si cibus ejusmodi idiosyncrasia excitatur?

Quae cum ita sint, rectius mihi credendum videtur, praeter idiosyncrasiam aliam etiam conditionem organorum digestionis, vel secretorum eorum momentum

(65) vide Willan. l. c. p. 312.

(66) l. c. p. 610.

(67) l. c. p. 181.

praedisponens ad urticariam esse, quae temporaria tantum adsit, et conjuncta cum cibis quibusdam consumptis urticariam producere possit. Incommoda dyspeptica saepe cum his laesionibus secretionum organorum digestionis conjuncta sunt, et fortasse saepe exoriuntur ex lautiore et luxurioso modo vescendi et bibendi. Num vero hic status organorum digestionis semper idem sit, qualis sit, et quo fortasse in aliquod tempus tantum provocari possit, equidem, quippe qui tiro in arte medica sim, proponere non audeo.

II. Causae excitantes.

Magna earum existit copia, quae partim directe, partim indirecte cutem hoc morbo afficiunt, idque eo magis, quo major dispositio ad eum est.

1) Causae excitantes directae.

a) C. e. d. effectus universalis. Aër frigidus saepe causa urticariae existit. Frank (68) affirmat quoque, hunc morbum, si qui plagis frigidioribus se adsuescere debeant (ubi imprimis urticaria chronica saepius occurrit, quam in calidioribus regionibus) in iis exoriri, dicens: „Alienigenae, qui coelo magis benigno adsuati, suam hoc in imperio (Rossia) sedem figunt, huic morbo cutaneo prae aliis subjecti vivunt. Sic nos ipsi, dum anno 1804, mense

(69) Interpretat. cl. I. p. 424.

Octobr. Vilnam in Lituania petimus, primis mox mensibus urticariam experti sumus, per quatuor annos, partim hac in civitate, partim Petropoli transactos, extensam.“

b) C. e. d. effectus localis. Ictus culicum, cimicum, apum, vesparum, muscarum cet., tactus pilorum tenerorum, qui capsulam seminalem dolichi prurientis et urentis obtegunt, urticae marinae, aplysia depilans, actinia senilis cet., imprimis vero tactus urticae dioicae et urentis huc spectant. Priori tempore illis saepius, quam nunc, praecipue vero urticam dioicam ad medendum variis morbis usi sunt, ut citam et graviolem cutis irritationem efficerent, quae gratis et statim, praesertim rure adhiberi potest, et propter effectum suum, facile evanescentem, sed facile redintegrandum, in multis morbis multos alios cutis stimulos praestat. Mèdèbanter v. c. eo rheumatismis chronicis (69), lethargo (70), apoplexiae (71), paralysisibus (72), scarlatinae retro pulsae, (73), quin etiam ut stimulum leniorem interdum commendaverunt, ut

(69) Italienische Med. Chir. Bibl. v. Kühn u. Weigel. Bd. I. St. 2. p. 179.

(70) Aretaeus, de cur. morb. acut. L. I. Cap. II.

(71) Dolaei Encyclopaedia Med. p. 66.

(72) Arnemann vid. Hufelands Journal. Bd. XV. St. 2. p. 153.

(73) A Schwarz. ibid.

si quis ad procreandum impotens sit, ille urticis recentibus verberetur (74).

Nec non multi alii stimuli cutis mechanici existunt, qui in majore minoreve sensibilitate cutis facilius difficilivse pomphos excitant. In magna cutis sensibilitate Willan (75) hos productos vidit farinā avenae, quae manibus et articulis manuum inspergebatur, leniore infriictione ungt. mercurial., quin etiam frictionem et pressionem cutis Plumbe et Bateman, ut jam commemoravimus, pomphorum formationem sequi viderunt.

(2) Causae excitantes indirectae.

a) Sordes gastricae. Graviora urticariae exempla praecipue his producta sunt. Camerarius (76), Vogel, Friese et alii viderunt urticariam apparere post esum fragorum; Winterbottom et Gregory (77) post esum corticum amygdalarum dulcium; Willan (78) et Heberden post pauca nuclea omnium generum druparum et pomorum; Friese (79) post esum lactis coctae,

(74) Schurig Spermatologia. p. 255.

(75) l. c. p. 321.

(76) Camerarii Memorabilia. Cent. IX. n. 97.

(77) vid. Willan l. c. p. 311. 312.

(78) ibid.

(79) ibid.

quae foliis amygdali persicae dulcorata erat; Bateman (80) post esum cucumerum recentium cum cortice, baccarum rubi Idaei, quin etiam avenae excorticatae. Behrens (81) narrat, quatuor homines, cum nasturtium aquaticum edissent, subito ea esse affectos; Wendelstaedt (82) affirmat se post semen cynae et artemisiae contrae similes effectus vidisse; fungis quoque hic effectus incusatur (83); Plumbe (84) inter causas opium quoque affert.

Mytuli edules maximum paene gradum hujus morbi procreant, et Behrens (85) describit insultum ejus satis vehementem, quem ipse expertus sit; echinus esculentus (86); cancri et fluviatiles (87), et squillae minores (88) et cancri cammari (89) saepe urticariam

(80) l. c. I. p. 54. 155.

(81) l. c. p. 634.

(82) vid. Willan. p. 312.

(83) Hannöversche nützl. Samml. p. 265.

(84) l. c. p. 178.

(85) l. c.

(86) Frank, Epit. III. p. 111.

(87) Hagedorn in Eph. nat. cur. Dec. II. Ann. III. obs. 35.

(88) A. N. Cur. Dec. II. A. III. p. 411.

(89) Willan. l. c. p. 311.

eiusdem gravitatis adducunt. Lapides cancrorum (90) quoque et mel (91) inter causas afferuntur.

Haleces (92), nonnulla genera aselli (93), haleces siccati (Picklinge) (94), salmo pinguis (95), ova nonnullorum piscium (96), scombri bene salsi et siccati (97) urticariam produxerunt.

Nec non ea post esum carnis porcinae (98), carnis semicorruptae, aut piscium universe acri aqua salsa conditorum (99) apparuit.

Plumbe (100) putat, si morbus piscium urticariam procreare debeat, eum ita esse oportere, ut dispositionem ad putrescentiam eorum, postquam extincti sint, augeat. „Man hat sich gewöhnlich,“ inquit, „überzeugt,“ dafs die Krankheit in solchen Fällen durch den Genufs solcher Fische, welche keinen Abgang gefunden hatten, oder der wohlfeileren Art von

(90) Friese in Willan. l. c. p. 310.

(91) Bateman. l. c. p. 155.

(92) Willan. p. 310.

(93) Werlhofii opp. P. II. p. 596.

(94) Plumbe. l. c. p. 179.

(95) Salz. Med. Chir. Zeitung. Bd. 1. 1793. p. 219.

(96) Rayer. l. c. p. 80.

(97) Plumbe. l. c. p. 179.

(98) Scheidemantel in den fränkischen Beiträgen, n. 35.

(99) Frank. Epit. III. p. 111.

(100) l. c. p. 181. 178.

Schaalthieren, vorzüglich der Muscheln, entstand,“ et interdum id fortasse verum est.

Sin vero dispositio major est et morbus habitualis, urticariam saepe vulgaribus potionibus et cibis denno procreari videmus. Willan (101) suasit aegrotis, urticariam chronicam affectis, ut alias alium potum et cibum eorum, quos consumere solerent, omitterent, ut causas inveniret, atque reperit aliis cerevisiam, spiritum frumenti, vinum album; aliis acetum vini, nonnullos fructus, saccharum, pisces aut vegetabilia cruda evitanda esse, quod argumento esse potest, leniores etiam digestionis laesiones, quod attinet ad dietam, si dispositio major sit, hunc morbum prolicere posse.

b) Stimuli psychici. Horum etiam hoc loco mentio facienda est. Praecipue in urticaria habituali animi motus, potissimum terror, efficiunt, ut denno appareat, si evanuit, ut Hufeland (102) et Frank (103) narrant. Sed etiam cogitatio, aliquid edi omnino non posse sine periculo, ne urticaria exoriat, huc referenda est. Tode (104) v. c. narrat, odorem cancrorum coetorum in viro quodam jam per se hunc mor-

(101) l. c. p. 322.

(102) Hufeland und Himlys Journal. 1812. Mai. p. 21.

(103) Interpretat. cl. l. p. 424.

(104) Tode's med. chir. Bibl. Bd. 4. St. 1. p. 241.

Bum procreasse, qui semper post esum cancrorum urticariâ affectus sit. Hoc modo etiam exempla, quibus lapidibus cancrorum sumtis hoc malum producebatur, melius explicari posse videntur. Nullum certe novi exemplum, quo lapides cancrorum effectum tam nocuum ostenderint, aegroti inscio, se eos consumsisse.

Sensibilitas cutis in multis morbis, praesertim cutaneis, aucta, effectum causarum urticariam excitantium adjuvat, quare eam saepe ad affectiones morbosas, quae adhuc adsunt, aut modo cesserunt, accedere videmus, quibuscum conjunctionem causalem illi esse saepe putaverunt, causâ, urticariam excitante, neglectâ. Existit v. c. historia aegroti a Michaeli (105) conscripta, ubi urticariâ simul cum vaccinatione fortiore pluribus locis in utroque brachio infantis occurrebat, quam Michaelis sequelam vaccinationis fuisse summis viribus contendit. Paene ejusmodi exemplum, a Valentino (106) narratum, esse videtur, ubi post gonorrhoeam diurnam repressam in juvene, maxime debilitato, urticaria apparuit. Alibert (107) urticariam quoque syphiliticam esse contendit, etenim syphilis pustulosa urticata ab eo constituitur, quam hoc modo significat: „Elle se manifeste par des éruptions rougeâtres sur la peau, semblables à des piqûres

(105) Hufeland u. Himlys Journal d. pr. Heilk. 1810.

Jun. p. 29.

(106) Eph. nat. cur. Dec. II, Ann. VIII, obs. 82.

(107) l. c. p. 225.

d'orties.“ Sed jure Rayeri (108) sententia id respicere videtur, qui de confusione nominum verba faciens, haec dicit: „Cette confusion s'est accrue lorsque diverses inflammations de la peau non contagieuses, telles que l'urticaire en particulier, ont été rangés au nombre des symptômes de la syphilide, par cela seul qu'elles s'étaient accidentellement développés chez des individus, qui étaient affectés de cette maladie.

Prognosis.

Per se urticaria periculum non adducit, per se nunquam letifera fit. Optime dicit, attamen de forma acuta tantum P. Frank (109) „Quod ephemerâ benigna, in dies aliquot protracta, inter febres, continuas, hoc urticaria inter exanthemata. Longe saepissime admodum breve tantum tempus perdurat et molestior sollicitantiorque, quam periculosior est. Si causis gastricis procreata est, vehementior acerbiorque est, sed plerumque simul cum causa cedit, quae eam produxit. Sin vero chronica et habitualis est, excitat pruritu paene continuo et interdum impedito membrorum usu incommoda diuturna molestissima. Tum imprimis facile recur-

(108) l. c. T. II. p. 128.

(109) Epit. III p. 104.

rit, quod levissimis, saepe ne conspicuis quidem causis fit; functio cutis paene omnino in fundamentis perturbata est, et nisi organa digestionis ab initio laborabant, nunc per consensum afficiuntur, neque tamen unquam, ut Wichmann affirmat, febris hectica secundaria inde exorta est.

Quin etiam quodammodo salubris urticaria esse potest, ut ex exemplis morborum sanatorum eo, quod aegrotus urticis recentibus verberabatur, quae supra, de causis loquentes, attulimus, apparet. Frank (110) commemorat e feud. Ital. Imperial. A. 1792 in homine quodam dolorem rheumaticum, qui per tres menses brachium affecisset, exortu urticariae evanuisse, et Koch (111) narrat, pleuritidem, simul ac pomphi urticariae in cute apparuisse, cessasse, et symptomata febris nervosae statim sedata esse.

Si exanthema repente regreditur, raro morbus secundarius animadvertitur, interdum leviores insultus anxietatis et animi deliquit; rarissima vero exempla sunt, in quibus ophthalmia, rigor membrorum, hydrops cerebri conspecti sunt, et fortasse tum quoque haec vitia ex regressione morbi alicujus, tantum cum urticaria complicati, exorta sunt.

(110) Interpr. cl. I. p. 421.

(111) Progr. de febre urticata, Lips. 1792. p. 14.

Cura.

Cura est aut palliativa, aut radicalis.

1. Cura palliativa. Cura palliativa respicit imprimis pruritus molestum, saepe intolerabilem. Hic facillime lenitur, si transpirationem cutis adjuvamus. Aegrotus igitur scabere vetetur, aequalis, paullo calidior temperies cubiculi curetur, vestitus magis fovens ordinetur, admoneaturque, ne aegrotus in lecto huc illuc se jaceat, ne lodix extollatur. „Wäre es dem Kranken möglich,“ Chalmers (112) inquit, „stille im Bette zu liegen — ein Entschluss, den wenige Menschen anzuführen im Stande sind — so würde die Beschwerde in wenigen Minuten vorüber seyn; denn die Schärfe würde allmählig ausdünsten, wenn der Kranke durch ewiges Herumwerfen solches nicht verhindern würde.“ Balneum tepidum, cui fursur cet. adjici potest, multum utilitatis aegrotis affert et pruritus statim deminuit. Lavationes aceto bonum quoque effectum ostendunt.

2. Cura radicalis. Sublatio causarum excitantium semper remotionem causarum praedisponentium antecedit, necesse est.

a) Sublatio causarum excitantium. Si refrigerium causa fuit, saepe cura palliativa, quam

(112) l. c. p. 87.

exposuimus, malum tollit, si vero haec non sufficit, diaphoretica leniora utilia erunt.

Sin vero morbus sordibus gastricis exortus est, remp-
tio earum prima et saepe praecipua pars curationis est.
Saepe natura ipsa se iuvat, et vomitu cibos evacuat.
Si hoc fit, vomitum potione tepida largiori adjuva-
mus. Emeticum, mature datum, ex Rad. Ipecac.,
Tart. emetic. saepe effectus mirabilis est, et simulac
substantiae nocuae comesae demotae sunt, sedantur
statim symptomata, saepe vehementissima, et mox ce-
dunt. Nonnulli Oxymel Squill. aut Acet. Squill. ad-
hibere malunt (113), si suspecti mytili edules, aut
fungi urticariam adduxerunt, sperantes fore, ut ve-
nenum, his substantiis contentum, aceto statim delea-
tur. Si cruditates gastricae vomitu non omnino emo-
ventur, evacuans damus, ut per alvum, quod reli-
quum sit, exeat.

b) Evitatio causarum excitantium. In urticaria
habituali evitatio causarum excitantium maximi mo-
menti est. De perfecta tractatione dispositionis cogi-
tare non possumus, si iteratis diaetae vitis morbus
rursus procreatur, eoque gravior fit. Ut vero causae
excitantes inveniantur, consilium illud Willani, quod
in aetiologia attulimus, sequendum est.

c) Remotio causarum praedisponentium. Res
quam maxime diuturna, gravissima et saepe impossi-

(113) Hannöversch. nützl. Samml. p. 267.

bilis! „Am perennirenden Nesselnieber,“ Kausch (114)
inquit, „hat sich so mancher berühmte Arzt vergebens
versucht.“ Medicus partim sensibilitatem cutis nimis
auctam deminuere et functionem cutis secernentem ap-
te mutare debet, partim laesiones secretionum organo-
rum digestionis in naturalem conditionem reducere.

Quod ad deminuendam sensibilitatem cutis attinet,
imprimis apta assuetudo frigoris, itaque initio vestitus
laneus, aut alius crassior, qui paullatim cum leviore
commutandus est, praecipue vero balnea commendan-
da erunt, quae initio tepidiora, postea sensim frigi-
diora adhibenda sunt. Si simul alterantem exercent
vim in cutem, ut balnea marina et sulphurata, etiam
plus utilitatis afferent. Balneum Bukoviense in Silesia
(quod praecipue alumen et vitriol. martis continet)
Kausch (115), et balneum salinum Schoenenbeckii
Ttblberg (116) in urticaria chronica commendat. Hu-
feland (117) sanavit urticariam quatuor annorum in-
tra quatuor hebdomades compositione sulphuris c. An-
timonio, et Frank (118) urticariam multorum anno-
rum decocto Sarsaparillae et pilulis e Guajaco, Extr.
Dulc., Camph. et Aethiope antimoniali. Terrore
vero hic morbus rursus excitatus est.

(114) Hufelands Journal, Bd. IX. St. 3. p. 135.

(115) ibid, p. 133.

(116) ibid, Bd. XXIX. St. 3. p. 12.

(117) Hufelands und Himlys Journal d. pr. A. 1812
Mai. p. 21.

(118) Interpret. cl. I. p. 424.

Sin vero simul digestio et secreciones organorum digestionis valde laesae apparent, medico est difficilimum, eas in constitutionem suam restituere. Saepe rebus sic se habentibus omnino nullae causae urticariam excitantes inveniri possunt. „In dergleichen Fällen,“ Willan (119) commemorat, „habe ich eine Menge von Arzneimitteln versucht und gefunden, daß die Schwefel und Kochsalzsäure, nebst Magnesia, Rhabarber oder andern Laxirmitteln, dann und wann gegeben, den meisten Nutzen schafft.“ Bateman (120) affert; „da wo zuweilen die gestörte Verdauung Ueberhand genommen, fand ich, daß die Soda oder die kautistische Potasche, mit aromatisch bittern Mitteln versetzt, Erleichterung verschaffte.“ Hinc jam apparet, quam diversus status secretorum ventriculi esse debeat, cum nunc acidis nunc Alkali sanari videatur.

Quod attinet ad complicationes urticariae, febris maximi momenti ad tractationem est. Quodsi illa inflammatoria est, damus, pro rebus, nitrum, crem. tart, sal Ammoniac., acida vegetabilia et rarissime tantum sanguinis missionem adhibemus. Quaevis febris species, cum urticaria complicata, tractationem sibi propriam requirit; urticaria cum febre intermittente cito cortici Chinae cedit.

Rayer (121) dicit cum urticaria, praesertim sor-

(119) l. c. p. 322.

(120) l. c. p. 159.

(121) l. c. T. I. p. 86.

dibus gastricis producta, saepe inflammationem gastro-intestinalem esse complicatam, attamen historia morbi, quam, ut hanc sententiam probet, affert, nec non observationes Golfini et Godardii, quas eodem consilio affert, omnino non hanc sententiam testari, et tractationem antiphlogisticam tam fortem permittere mihi videntur.

Si urticaria subito regreditur et symptomata periculosa apparent, compensando stimulo cutis, qui cessit, haec citissime sedantur, et ipsa verberatio urticis effecta, tum remedium non aspernandum erit, et quodammodo sententiam illam „similia similibus curantur“ probare videtur.